

stables, et immoti permaneant, ac nunquam se decipi, et in errorem induci patiantur. Et quoniam apprime scis, Te pro Christo legatione fungi, qui venit querere, et salvum facere quod perierat, iccireo nullis curis, nullis consiliis nullisque laboribus parcere unquam velis, ut miseros errantes ad rectum veritatis, justitiae salutis que tramitem reducere, illosque Christo lucrifacere possis. Inter angustias vero, et difficultates, quibus episcopale ministerium hisce praesertim tristissimis temporibus est obnoxium, ne concidas unquam animo, sed confortare in gratia Domini Nostri Jesu Christi, pro oculis habens immarcescibilem illam gloriae coronam ab ipso æterno Pastorum Principe perseverantibus promissam. Pro certo autem habe, Nos a Deo humiliter enixeque exposcere, ut uberrimis cœlestis suæ gratiæ donis Te ditare ac pastoralibus Tuis curis benedicere velit quo ista Dominicæ sue Vineæ pars Tuis excolenda laboribus Tuisque irriganda sudoribus uberrimos, lætissimosque iustitiae fructus in dies emittat. Ac divini hujus praesidii auspicem et præcipue Nostræ in Te benevolentie pignus Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus Tuæ vigilantiae concreditis, per amanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 28 Junii anno 1866.

Pontificatus Nostri anno Vicesimo primo.

(Sign.) PIUS P. P. IX.

(Pro apographo,)

L. Z. MOREAU, Pter.-Secretarius.